



Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. XXIII. Opinio Machiauelli de Monarchia, & eius rationes refutantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

Phereus, Triginta Tyranni Athenis, & vix eo tempore sine effera crudelitate ciuitas vlla regnabatur; hinc tantum odium regum, & in populo bellicoso prompta manus, & suspectorum vix audita causa, certe lite pendente, representata supplicia. Subleni enim & iusto rege non admodum desideratur extrema libertas, sed quiete, & tutela rerum plerique contenti viuunt, at cum sub ictu tyranni furentis impalescunt, qua occasio libertatis proxima aperitur, ea se, quamuis magno periculo, effundunt.

At populus etiam iratus, lenius sentit. Immo vero nulla belua est populo crudelior. Romana plebi obiciunt legati patrum, eos crudelitatis odio in crudelitatem ruere, prius quam liberi sint, dominari in aduersarios velle. Si populi crudelitatem aduertere animus est, vide Lemnios, Hetruscos, Samios, Athenienses, Lemniorum crudelitas in proverbium abiit, ut quod immanissime factum est, Lemnia manu factum dicatur. Hetrusci viua corpora mortuis iungebant, non enim solius hoc Mezentii facinus fuit. Samii Atheniensium frontibus noctuam, Athenienses Samiorum frontibus Samianam insulpebant, fædo exemplo inter cultissimos populos repensata crudelitate. De Romanis vis dicam: Crudeles fuere, & monstra quædam hominum primi imperatores, nullum excipio, nec Augustum, nec Titum: At illis tamen populus crudelior fuit, totos dies cruciatibus, & mortibus amphiteatri delectatus; & deinde illa ipsa monstra nonne ex ciuibz erant? An optimates Romani mites? Fimbria, Sylla, Tullius, Catilina, Pompeius, Pollio, Marius, quique fuere Marianorum, aut Syllanarum partium, id est omnes Romani. Pauci reges procerum Romanorum crudelitatem æquarunt. Sed omnes hos populus Romanus superauit, horrendis in Nerone, Caligula, Galba, aliisque principibus editis exemplis, in puniendâ crudelitate crudelissimis. Excessit medicina modum, perire nocentes, & innocentes. Est igitur & populus incostans, & crudelis. Inconstantiæ causa est, qui non iudicat, nec nisi leuibus mouetur, ideoque & in alteram partem mouetur, maior est tamen ignorantia populi, cuius maxima pars priuatis rebus occupatur. In populi iudicio nemo suum proprium dedecus metuit, aut laudem sperat, si male cedant consulta, aliis vnusquisque potius, quam sibi imputat. Cur enim sordidissimos hominum tangat reipublicæ fama? At ubi princeps est, ille & veretur statuere, quod continuo sit mutandum, & subitas rerum conuersiones, leges figendi refrigerique libidinem, necessario ut pestem Reipublicæ auersatur.

Populus Romanus crudelior rimperatoribus suis.

In populi iudicio quisque sui securus detrimenta imputat alius.

CAPUT XXIII.

Opinio Machiauell de Monarchia, & eius rationes refutantur.

Machiauellus sui iudicii est, non prudentis.

§. I. **H**ominis, qui proprii potius, quam prudentis iudicii est, opinionem describam & expendam, ut cunctis pateat, eum non modo rationatione uti infirma, sed contra historiarum fidem etiam peccare, atque ex illis, quæ penitus falsa sunt, conclusiones & consuetudines deducere, libro 2. cap. 2. de Repub. ita scribit. Difficilem arduamque de vicinis & aliis quibusdam populis victoriam populo Romano fecit amor conferuandæ libertatis, qui tunc multis gentibus infidebat. Eam enim tanto studio defendere conabantur, ut non nisi singulari quadam virtute vinci & superari potuerint. Cuius rei argumentum habes tot periculorum exempla, quæ adire eius defendenda ac recuperanda causa voluerunt: tot tamque horrenda supplicia de his sumpta, qui illius amittende causam præ-

buisent. Sed neque obscurum est ex lectione historiari, quanti faciendâ sit libertas, & quantum & quam difficile sit populo iugum seruitutis. Aetate nostra vnica gens supersere videtur, in qua libera ciuitates sint: olim per omnes mundi plagas extrabant populi liberrimi. In Italia certe inter Alpes, quæ Galliam Cisalpinam à Tuscia diuidunt, & extremâ Italia oram, multi liberi populi habitabant, Tusci, Romani, Samnites, & alij: nec mentio sit vllorum Regum, qui tunc imperarint in Italia, præter Reges Romanorum & Porcennam. De cuius stirpis excidio, etsi historia nihil memoria prodiderint: constat tamen Tuscia, cui Porcenna imperauerat, liberam fuisse eo tempore, quo Romani aduersus Veios bellum susceperunt, & libertate quidem tanta cum voluptate vsam, tantoque odio Monarchia appellationem habuisse, ut cum Veni defendendi sui causa Regem creassent, & auxilium à Tuscis contra Romanos petissent, Tusci re diu deliberata, tandem consenserint non ferendas eis esse supplicias, donec regem haberent: neque enim decere, iis auxilium ferre, qui patriâ vnus viri imperio subiecti essent. Sed neque, sine causa insidet populo omni libertatis amor. Testatur enim experientia, nullam ciuitatem suos ciues ditare, nisi tempore libertatis, neque etiam imperium comparare, aut publicas opes quocunque modo augere. Ad mirationem summa dignum est Athenienses Pisisstrati tyrannide liberatos, centum annorum spatio, vires atque potentiam suam tantopere augere potuisse. Et longe magis stupendum adhuc, Romanorum Rempublicam: expulsi Regibus, ad tantum fastigium peruenire potuisse. Eueniunt autem hæc omnia, quoniam non priuatorum opes, sed quæ publicæ communique sunt, Rempublicam augent: neque habetur ratio boni publici, nisi in liberis ciuitatibus, in quibus id, quod ex æquo prodesse potest omnibus aut quam plurimis, semper decernitur, nec habetur ratio paucorum quorundam, quibus nocere forte possit id, quod vniuersis prodest. Contra quam accidit in his ciuitatibus, quæ principis alicuius imperio parent. Nam in his plerumque fit, ut quod principi prodesse potest, vniuersis ciuibz noceat. Quo fit, ut si libera Respublica sub tyrannidem alicuius redigatur, inter leuissima detrimenta, inde sibi orta, hoc numerare queat, quod iam neque opibus, neque imperio amplius augeri queat: sed decrescere etiam paulatim incipiat. Nam etsi concedamus Tyrannum hunc, sub cuius imperium redacta est, virum esse industrium & bellicæ virtute præstantem: tamen id, quod ille comparat, in suum priuatum commodum, non in vsus publicos conuertit: cumque neque ex subditis suis, quibus tyrannice imperat, deligere aufit excellentissimos quosque, ut eos præficiat rebus gerendis, metu mirum vindicta. Quod si quas prætereas vrbes occupabit, non certe huic tributarias faciet: cum tyranni corpore sit, non augere potentiam subditorum: sed subditam sibi conseruari, & vires, quibus aliquando iugum excutere queant, opprimere. Quæ de re multa præcalare apud Xenophontem, in libro de tyrannide leguntur. Quæ cum ita se habeant, nemini mirum videri debet, veteres tanto libertatis studio flagrasse, & tyrannorum nomen tanto in odio habuisse: ut cum nuncius olim ad exercitum peruenisset, de interfecto Hieronymo Hieronis Syracusani nepote, ac milites omnes fremerent aduersus coniuatos: tamen cum paulo post nuntiaretur, proclamari libertatem publice Syracusis: deposita iracundia contra coniuatos, de modo conferuandæ libertatis deliberare ceperunt. Ob easdem causas ingentibus suppliciis per sepe affecti sunt ij, qui amittendæ libertatis autores esse voluerunt. Quorum exempla cum plurima extent, hoc loco vnum tantum, idque horrendum & memorabile adducam, quod in Corcyra accidit, tempore belli Peloponesiaci. Nam cum tunc vniuersa Græcia in binas factiones diuisa esset, quarum vna Atheniensium, altera Spartanorum amicitiam retinere conabatur: & in Corcyra optimates superiores facti, populo libertatem semel eripissent: factum est postea, ut populus Atheniensium auxilio aduersus denuo optimates deuicerit. Itaque, seruutis iugo excusso, optimates omnes in magnum quendam carcerem incluserunt: ex eo denos deinde sigillatim educentes, tanquam illos in exitium mittere vellent, variis suppliciis afficiebant. Cuius rei tandem certiores facti reliqui in carcere, decreuerunt, quocunque modo se à tam fædis suppliciis defendere: facti igitur impetu in

Cupido libertatis a pud veteres.

Vrbes liberæ dicescunt.

Crudelitate vindicta libertas.

Superstitio
& cruenta
sacrificia
fortes red-
dere putat
Machia-
uelli.

Christianā
institutionē
facere im-
belles sent.
Machia-
uelli.

hos, qui carceres ingrediebantur, illos repellebant, & aditu prohibebant. Sed ea re cognita populus, concitato tumultu, tabulatum carceribus impostum aperuit, & ruina murorum vniuersos simul suffocauit. Huiusmodi crudelitatis exempla, pro defensione libertatis tunc plura quoque alia euenerunt: maiori tamen cum impetu solent homines ereptam libertatem vindicare: quam in eos, qui eam eripere voluerunt, ferri. Sed non immerito possit quisquam hoc loco admirari causam cur antiqui illi longe magis laborasse videantur, pro libertate publica, quam id etate nostra fieri videamus. Ego vero ob eandem causam id fieri puto, propter quam iidem illi fortiores viri erant, quam nostri: atque illam maiore ex parte pendere ex ipsa educatione, & religionis illorum nostraeque diuersitate. Nam cum ex religione nostra veritatem rerum intueamur: discimus ex illa statim honores & pompam huius mundi contemere. Sed Ethnici hac omnia magni faciebant, & in eis summum bonum situm esse putabant: quapropter promptiores ferocioreque erant huiusmodi rerum defensores. Id ex multis eorum institutis apparet: nam si vel eorum sacrificia cum nostris conferas: in illis magnificentiam quandam horrendam in nostris delicatam quandam molliciem cernes. In illis, Pompe & magnificentia cedens multorum animalium adiungebantur, qui terribilis aspectus homines etiam feroces reddebat, nostra his omnibus caret. Ethnicorum religio non reddebat homines beatos aliis rebus quam gloria & laude virtutis, pro re bene felicitateque in bello aut pace gestis: ex nostre religionis institutione, beatiore putantur humiles, & qui rerum diuinarum contemplationi dediti sunt, quam qui res magnas gesserunt. Summum praeerea bonum statuit in humilitate & contemptu rerum huius mundi. Ethnici omnia contrario modo se habere credebant: nam summum bonum existimabant in magnitudine animi positum esse, & corporis viribus caterisque omnibus, quae a fortissimis viris fieri solent. Hac vita institutio Christianorum orbe imbellem fecisse videtur, ut sceleratis ac perfidis principibus certa praeda esse soleat. Nam plerique mortaliū spe vita beata cogitant potius de tolerandis iniuriis, quam de iisdem vindicandis: tanquam si oporteret eorum sine armis illis solo otio comparare: sed non caret errore ista Religionis nostrae explicatio, & qui illam ita sunt interpretati, abiecti homines fuere, quibus otium potius quam virtus cordi fuit. Nihil enim religioni Christianae aduersatur patriae defensio, imperiumque eius per legitimum modum auctio: permittitur omnibus patriam amare, in honore habere, & ad illius defensionem se preparare. Sed inepta illa educationis ratio efficit, ut si per vniuersum orbem etate nostra percurras, nequaquam tot populos liberos, tot liberas Respub. ut olim erant, inuenire queas, nec homines libertatis amatores, atque eiusdem acres defensores. Equidem Romanum imperium magnitudo non parum etiam ad id fecit, cum per vniuersum orbem liberas Respub. sub suum iugum subiecerit: sed neque destructo imperio Romano, tamen potuere pristinam libertatem recuperare, nisi per paucam quadam. Quo tempore augebatur Romanum imperium, inueniebantur in omnibus regionibus multi liberi populi, multa libera Respub. praecclare instituta: & libertatis defensores acerrimi: nec proinde a populo Romano absque singulari virtute vinci, ac superari potuerunt. Exemplo esse possunt vel soli Samnites: quos Lucretius testatur tam potentes pace ac bello fuisse, & tam acres libertatis defensores, ut quadraginta sex annos bellum cum Romanis gesserint, nec vinci omnino potuerint, ante tempora Consulatus Papirii Cursoris, qui Papirii primi filius fuit, quamuis infinitas strages perpesti fuissent. Quo magis miseratione dignum est: si quis eam regionem etate nostra propemodum desolatam videat, quae olim à tot liberis hominibus incolebatur, tot liberis & praecclare institutis ciuitatibus exornata erat. Quae omnia diuersitatis suae causam habent ex libertate & seruitute. Quaecumque enim ciuitates ac regiones libertate fruuntur, augentur opibus & imperio, & hominum multitudine. Quis enim non libentius proceat homines in iis locis, ubi matrimonia & opes liberae sunt, quam ubi metus est, ne si quid labore tuo ad educandos liberos comparasti id tibi à tyranno aliquo auferatur? ubi libertas est, non modo tibi polliceri potes liberos fore non seruos, quos procreas filios, sed siquidem virtuti operam dant, etiam ad Respub. gubernationem adhibendos iri. Augentur opes hic, non ex agricultura modo, verum etiam ex omnibus aliis honestis artibus, quod omnes ita affecti simus, ut eo loco libenter acquiramus, quo speremus, reb. partis tuto frui posse: In huiusmodi locis omnes certatim, cum publicorum, tum priuatorum commodorum rationem habent, eaque augere conantur. At ubi seruitutis iugo oppressi sunt homines, contrario modo eueniunt omnia, idque tanto magis quanto durior seruitus fuerit. Durissima videtur seruitus earum ciuitatum atque regionum, quae imperio libere Respub. parent. Primum enim durissima esse solet, ut nulla spes conquirendae libertatis proposita sit. Deinde solent libere Respub. augendarum suarum virium gratia: subiectarum imperio suo ciuitatum potentiam imminuere, & succum omnem prope modum exugere, secus quam solent principes non omnino barbari quales sunt etate nostra orientales omnis vitae civilis corruptores. Cateri humanis artibus instituti, equiores esse solent, & subditos diligere consueuerunt, permittuntque, non solum, ut consuetis artibus rem faciant: sed statuta antiqua & leges relinquere integras, ut si ob hanc seruitutem incrementum amplius acciperent nequeunt, conseruare tamen possint res prius à se partas. Et hoc quidem loco de principatu loquor, qui ab extero homine occupatur: de tyrannide quem patria ciuis inuadit, supra locuti sumus. Quae omnia si diligenter contempleris, haud mirum videri debet, Samnites eo tempore, quo libertate fruebantur, ad tantam potentiam peruenisse: amissa illa ad extremum fuisse redactos. Quae de re Lucretius in bello Punico inquit, Samnites vnica Romanorum legione apud Nolam, usque adeo oppressos fuisse, ut legatos ad Annibalem impetrandi auxilii causa mittere coacti fuerint: Legatos etiam de sua miseria apud Pannum conquestos, se esse illos, qui propriis viribus cum populo Romano centum annos gesserint bellum, & saepe binos exercitus consulares sustinuisse: nunc eo miserie redactos, ut vnica legionem sustinere nequeant.

tionem adhibendos iri. Augentur opes hic, non ex agricultura modo, verum etiam ex omnibus aliis honestis artibus, quod omnes ita affecti simus, ut eo loco libenter acquiramus, quo speremus, reb. partis tuto frui posse: In huiusmodi locis omnes certatim, cum publicorum, tum priuatorum commodorum rationem habent, eaque augere conantur. At ubi seruitutis iugo oppressi sunt homines, contrario modo eueniunt omnia, idque tanto magis quanto durior seruitus fuerit. Durissima videtur seruitus earum ciuitatum atque regionum, quae imperio libere Respub. parent. Primum enim durissima esse solet, ut nulla spes conquirendae libertatis proposita sit. Deinde solent libere Respub. augendarum suarum virium gratia: subiectarum imperio suo ciuitatum potentiam imminuere, & succum omnem prope modum exugere, secus quam solent principes non omnino barbari quales sunt etate nostra orientales omnis vitae civilis corruptores. Cateri humanis artibus instituti, equiores esse solent, & subditos diligere consueuerunt, permittuntque, non solum, ut consuetis artibus rem faciant: sed statuta antiqua & leges relinquere integras, ut si ob hanc seruitutem incrementum amplius acciperent nequeunt, conseruare tamen possint res prius à se partas. Et hoc quidem loco de principatu loquor, qui ab extero homine occupatur: de tyrannide quem patria ciuis inuadit, supra locuti sumus. Quae omnia si diligenter contempleris, haud mirum videri debet, Samnites eo tempore, quo libertate fruebantur, ad tantam potentiam peruenisse: amissa illa ad extremum fuisse redactos. Quae de re Lucretius in bello Punico inquit, Samnites vnica Romanorum legione apud Nolam, usque adeo oppressos fuisse, ut legatos ad Annibalem impetrandi auxilii causa mittere coacti fuerint: Legatos etiam de sua miseria apud Pannum conquestos, se esse illos, qui propriis viribus cum populo Romano centum annos gesserint bellum, & saepe binos exercitus consulares sustinuisse: nunc eo miserie redactos, ut vnica legionem sustinere nequeant.

§. 2. Pronunciata Machiauellica sunt. 1. Nostra etate vnica superesse gentem, in qua libere ciuitates sint, olim innumeros fuisse populos liberos. 2. Non aliam Republicam suos dicere ciues aut imperium acquirere nisi liberam. 3. In Monarchia fieri ordinatius & commodum sit principibus, noceat ciuib. 4. Cum aliqua libera Respublica vrbes alias seruitio premit, eam seruitutem esse & diuturnam, & durissimam. 5. Non habere rationem boni publici nisi in liberis ciuitatibus. 6. Christianam religionem efficere ne sint homines libertatis amatores, ad hoc etiam imperium Romanum non parum contulisse.

§. 3. Haec ex ratione atque experientia sunt consideranda. Nam Romanis imperium obtinentibus negat ipse gentes fuisse liberas, nisi paucissimas. Si antiquiora tempora spectemus, docent nos sacrae litterae toto oriente fuisse reges, idque à tempore Abrahami, usque ad Romanum imperium. Italiam habuisse liberos populos tempore regum, & consulum Romanorum satis docet Romana bella, nec omnes tamen liberi, sed multae quoque vrbes reges suos habebant. Gallia & Germania nisi cum spartim habitarent, regibus, & regulis gubernabantur, itemque Hispani, & praeter Carthagenenses, Afri. Nunc vrbes liberae sunt Venetiae, Genua, Rachusa, Heluetiae, Hollandiae, imo & Germaniae, Regnum Poloniae, quamuis regem habeat. Verum libertatis nomine abutuntur multi: cur enim liberae sint Venetiae, quia multae ciuium myriades à paucis nobilibus ita gubernantur, ut dicto audientes esse cogantur, nec tamen vicissim ipsi imperent, non autem libera Vbiotum Colonia, quae à suis ciuib. ita regitur, ut parēdi, & imperandi vicissitudines habeat, moderata magistratuum imperia, & ciuium in obtemperando a-lacritatem, quamuis summum caput agnoscat imperatorem? Sed imperatorem qui secundum leges, & recepta iura controuersias cognoscat, ac decidat. Haec, si ratio examinabitur, plurimas in Europa liberrimas vrbes reperiemus. Varia est enim libertas, & quae maxima putatur, estque in Democratia, plane

Cur libera
vrbes dice-
sant.

Pronuncia-
ta Machia-
uelli.

Plerique po-
puli reges
habuerunt.

Libertas ve-
ra quaeren-
da.

Varia liber-
tas.

est omnium deterrima. Hanc Romana plebs ad exitium sui libertatem extorsit. Primo quidem leges, deinde Tribunos, tandem communicationem magistratuum, & coniugiorum, donec iam omnia in eius essent potestate, ita Venetum populum liberum negaret populus Romanus. Ille enim contra Patres auxilium Tribunitium quaesivit, tenuitque, Venetus populus manet in potestate nobilium.

Sub regibus
etiam opulenta sunt
urbes:

§. 4. Secundo ait: Nullam rem publicam ditare ciues, nisi qua libera sit. Si de libera Republica loquitur, qualis Romana fuit, vel Atheniensis, ubi summa fuit potestas penes populum, iam nulla igitur Respublica libera est, nulla populum suum ditat, omnes enim à principibus vel optimatibus, nisi Heluetios excipere lubeat, gubernantur; at vero multae sunt, & nobiles aeo nostro ciuitates, atque olim fuere, quas ad magnas opes euasisse sub regu imperio videmus. Intue- re insignes Europae ciuitates sub Imperatore, Francia, Hispania, Polonia, Britannia regibus, & ostende mihi olim in Graecia pari cultu, pari felicitate, opibusque liberas ciuitates. In Italia in Samnio, in Capania, in Latio erant liberi populi, at certe ciuitates exiguae, rusticae, pauperes, & ut vere dicam barbarae potius, quam liberae. Florus Romanae historiae compendiarior suos quites rusticam vitam egisse; rustica spolia, pecora Volscorum, greges Aegnorum duxisse, donec Asiam ingressi opes, luxuriamque domum aduexerint. In Asia vero quae & quales urbes, à regibus conditae, munitae, ornatae, opibus supra modum onustae fuere? Babilonis, Ninive, Ecbatanae, Persepolis, Sidon, Ierusalem, Damascus, Tyrus, Memphis, Sardes, Diuitias Tyri nobis in vrbis felicitis exemplum describit Spiritus S. apud Ezechielem. At in Italia Roma tum maxima, deinde Capua. Nam cum de Tarrento & Pirro triumphatum est, prima diuitiarum experimenta ceperunt, ante hunc diem (inquit Florus l. 1. c. 28.) nihil, nisi pecora Volscorum, greges Sabinorum, carpenta Gallorum, fracta Samnitum arma, vidisset: tum si caprimos afficeret, Molossi, Thessali, Macedones, Bruttii, Apulii, atque Lucani; si Pompas, aurum, purpura, signa, tabulae, Tarrentinaeque deliciae. Sed nihil libentius Populus Romanus aspexit, quam illas, quas tunc erat, cum turribus suis belluas: quae non sine sensu captiuitatis, summissis ceruicibus, victores equos sequebantur. Ignaros fuisse diuitiarum Asiaticarum docet nos ipse Romanus consul, cum de vetustis Romanis loquitur. Romanis tres solae urbes, in terris omnibus, Carthagem, Corinthum, Capuam statuerunt posse imperii grauitatem ac nomen sustinere. Falsum igitur est, quod tertio loco Machiavellus refert: In Monarchia omnia ad principis utilitatem referri, nam legitimus princeps populi commodum salutemque spectat, atque hoc sine à Tyranno distinguitur. Quamquam & populos opulentos habere, principis est utilitas, dignitasque. Itaque & Romana ciuitas sub regibus creuit, itemque caeterae Italicae urbes, Corinthiorum res sub ciuili, & humana tyrannorum administratione creuerunt. Qui igitur principes in suam duntaxat utilitatem intentos esse criminatur, omnes vno calculo tyrannidis damnat, nisi extraordinarie clementes sint, & liberales.

Olim populi
Italiae barbari.

Tres summae urbes in
dicio Romanorum.

Regibus est
cura publici
commodi.

Optimates
Romae suorum
commodorum
studiosi.

§. 5. Cōsecratum itaque est, & illud esse falsum, quod ait, In solis liberis ciuitatibus publici commodi rationem haberi. Itane vero? An qui populos defenderunt, sanguinem non cupiditate imperii, sed ad patriae defensionem profuderunt, tot viribum, templorum, academiarum fundatores, nihil pro publico bono egerunt? Cerdones scilicet, & aliptae dum annuo imperio extolluntur publici boni rationem habent, reges & principes suis tantum rebus student. Contra itaque statuendum est, in regimine optimatum & populi, quemque proprii magis commodi, quam publici studiolum esse. Optimates enim maiestatem imperii commodumque in se vertere conantur, adeoque ut Roma duas esse ciuitates to-

ties inuidiose & vere Tribuni clamitent. Plebs sua commoda, leges agrarias, nouas tabulas, conciones spectabat, panem & Censentes, donatiua candidatorum petebat, nulla in mentio publici commodi, nisi ubi magnitudo periculi et priuata damna minabatur. Exprobrat hoc suis ciuibus animose T. Quintius capitolinus. At enim communis res per hanc loco est peiore: ager vritur, urbs obsidetur, belli gloria penes hostes est. Quid tandem priuata res vestra, quo in statu sunt? Iam vnicuique, ex agris sua damna nuntiabuntur. Quid est tandem domi, unde ea expleatis Tribuni vobis amissa reddent, ac restituent? Vocis, verborumque, quantum volitis, ingerent, & criminum in principes, & legum aliarum, super alias, & concionum, sed ex illis concionibus nunquam nostrum quisquam re, fortunamque, domum auctior redit. Equis retulit aliquid ad coniugem, & liberos praeter odia, offensiones, simulatas publicas, priuatasque, à quibus semper non vestra virtute, innocentiaque, sed auxilio alieno tuti sitis. At Hercules cum stipendia nobis confutibus, non Tribuni ducibus, & in castris non in foro faciebatis in acie vestrum clamorem hostes, non in concione patres Romani horrebant.

§. 6. Denique religionem Christianam fatemur efficere ut min⁹ sint homines libertatis amatores, idque non modo, quia res fluxas, & caducas suo precio aestimat, & seruitute n. & ergastulo in libertatem filiorum Dei se afferendos aliquando diuinis oraculis edo cum ipe- rat. Credunt & sequuntur Apostoli monitum. Vnusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat: seruus vocatus est non sit tibi cura, sed si potes fieri liber, magis utere. Qui in Domino vocatus est seruus, liberus est Domino: iuniliter qui liber vocatus est, seruus est Christi. Precio empti estis, nolite fieri serui hominum. 1. Cor. 7. 21. Sed minus horrent principum imperia, imo iis se libeter committunt, quia & illi norunt, seruus se esse Christi, moderatque & clementer tractant conseruos suos, memores in conspectu communis Domini se se consistere. Vbi n. Christianos principes veterum nota, & vilitate feceritis, ac rapina inueniuntur: Nostra vero religio molles facere, non fortes calumniam esse ostendit, cum de fortitudine tractabo. Nunc impiam Pseudopoliticam Tertullianae testimonio, & ratione refutabo. Sin. Christiani tam mortem ac tormenta continent, quod fortes essent in praelio, quibus honesta mortis est tanta cupido? Tot ingenia carnificum ferunt, cum vno se verbo eximere vexationibus valeant, si dicant: Christianus non sum. Certe si velim Christianus sum, tunc ergo me damnabis, si damnari velim, quum vero quod in me potes, nisi velim non potes iam mea voluntatis est, quod potes, non tua potestas. Proinde & vulgus vane de nostra vexatione gaudet, proinde & nostrum est gaudium, quod sibi vendicat, qui malum damnari quam à Deo excidere. Contra illi qui nos oderunt, dolere, non gaudere debebant, consecutis nobis quod elegimus.

Christiana
religio ex
vero aesti-
mat serui-
tutem.

Vera causa
cur reges non
horreant
Christiani.

Christiani
fortes, quia
voluntate
patiuntur.

Certe qui mori paratus est, qui tormenta videt, non est ille bello inidoneus. Et in Apologetico ca. 5. Ergo, inquit, cur querimus quod vos insequamur, si pati vultis, cum diligere debeatis per quos patimur quod vultis plane volumus pati: verum eo more quo & bellum miles: Nemo quippe libens patitur, cum & trepidare & periclitari sit necesse, tamen & praeliator omnibus viribus, & vincens in praelio gaudet qui de praelio querebatur, quia & gloria consequitur & praeda. Praedium est nobis quod prouocatur ad tribulationes, ut illic sub discrimine capitis pro veritate certemus. Victoria est autem pro quo certaueris obtinere. Ea victoria habet & gloria placendi Deo, & praeda viuendi in aeternum. Sed obducimur certe cum obtinuimus ergo vicimus, cum occidimus: denique euadimus, cum obducimur. Licet nunc Sarmenticios & Semaxios appelleris, quia ad stipitem dimidij axis reuincti Sarmentorum ambitu exurimur. Hic est habitus victoriae nostrae, hac palmarum vestis, tali curru triumphamus, merito itaque victi non placemus propterea n. desperati & perdituri existimamur. Sed haec desperatio & perditio penes vos in causa gloriae & fame, vexillum virtutis extollit. Mutius dextram suam libens in ara relinquit. O subli-

mitas

mitas animi! Empedocles totū se Carbanensium Echneis incenditis donauit, o vigor mentis! Aliqua Carthaginis conditrix rogo se secundum matrimonium dedit, o praeconium castitatis! Regulus, ne viuis hostibus viveret, toto corpore cruciatus patitur, o virum fortem, & in captiuitate victorem! Anaxarchus quum in exitum Prissane pilo cōtunderetur, Tunde, tunde, aiebat, Anaxarchi follem! Anaxarchum enim nō tūdis, o philosophi magnanimitatem, qui tali de suo exitu etiam iocabatur! Omitto eos qui cum gladio proprio alioque genere mortis mitiore de laude pepererunt. Ecce enim & tormentorū certamina coronantur a vobis. Attica meretrix carnifice iam flagitator, postremo linguam suā comestam in faciem tyranni expulit, vt expueret & vocem, ne conuictos confiteri posset, si etiam victa voluisset. Zeno Elates consultus a Dionysio, quidnā Philosophia praestaret, quum respondisset, cōtemptum mortis: impassibilis flagellis tyranni obiectis sententiam suā ad mortē vsq; signabat. Certe Laconum flagella sub oculis etiam hortatū propinquorum acerbulā tantum bonorem tolerantiae domui conferunt, quantum sanguinis fuderint. O gloriam licitā, quia humanam, cui nec praesumptio perditā, nec persuasio desperata reputatur, in cōtemptu mortis, & atrocitatis omnimode, curatū pro patria, pro imperio, pro amicitia patipermisum est, quantum pro Deo non licet, & tamen illis omnibus & statuas defenditis, & imagines inscribitis, titulos inciditis in aeternitatem, quantum de monumentis potestis: scilicet praestatis & ipsi quodammodo mortuis resurrectionem hanc, qui veram a Deo sperat, si pro Deo patitur, insanus est?

Non igitur causa cur reges suos ament Christiani, est mollitudo, sed Dei ordinatio, imperantis moderatio, parentum virtus. Neq; n. Romani reges suos, nisi ob vitia repudiarent. Testis ipse Florus l. i. c. 8. Postremo superbi illius importuna dominatio, non nihil, imo vel plurimum pro fuit. Sic enim effectum est, vt agitata iniuriis populus, cupiditate libertatis incenderetur. Sapientissime itaq; Tertullianus fortes esse Christianos, & ferre imperia, qui martyria ferre possent. Ego paulo aliter concludā. Si Christiana religione facti sunt, tot Martii, tot Anaxarchi, tot Zenones, tot Lacones, & omnes in meliore causa, non enervat hominum robur religio Christiana, sed confirmat. Verū de his suo loco. Nunc contra Pseudopolitici hoc moneo, me cum iustum iusti principis imperiū laudo, non agere contra libertatem. Inestimabile bonū est, fieri suum: Est aut, vt ait Arist. i. Met. c. 2. liber sui causa, non alterius. Grauius nam omnes iacturam libertatis arbitrantur, & cum plausu cecinit Poeta, ἡ δὲ πόλις ἡλευθερία. Non emoritur libertatis amor. Recte & Strabo. ἡλευθερία μὲν ἴσθι, ποιεῖς τὴν ἀναγκὴν τ' ἀπαθῆναι. Τὰ δ' ἐν δυνάμει τῶν ἀρχόντων ἐκ ἀρχαίων ἐστὶ. Soli libertas bona possidentibus propria esse facit, qua vero seruitute sunt, imperantium, non parentum sunt. Sed iam ostendi parere iusto, & secundum leges imperio non esse seruitutem, sed tutissimam libertatem. Quod si a iustitia recedat princeps, & leges rumpat auaritia, ira, libidine, non tamen vnus tyrannis grauior erit, quam multorum dominorum sauities, ac contumelia.

CAPVT XXIV.

Magistratum patriæ obligatum esse.

§. 1. **P**ROponi solet hæc de principe quaestio, sed quia non principem duntaxat, sed senatū etiam populūq; informandum suscepi, de omnibus generatim disputandum mihi fuit. Sic autem accepta quaestio bipertita est. Queritur enim: An magistratus summus plus possit, quam vniuersa Respublica? Deinde in quib' reipublica sit obligat' magistratus?

Prima quaestio difficilis est, & forte periculosa: si enim magistratum plus posse dixeris, forte tyrannidem accendes, si Respublica supremam potestatem tribueris, reges in ordinem redigere videberis. Inue-

nienda est igitur ratio, qua & magistratui, qui vt caput, ita pars est Reipublicae, sua auctoritas asseratur, & Reipublicae ius suum conseruetur.

§. 2. Primum igitur respondeo. Omnem rempublicam quae sibi magistratus praeficit, seu regem eligit, vt olim Romani, & nunc Germani, Poloni, seu optimatum curiam, & consilium publicum, vt fecerunt exactis regibus Romani. Siue ex vniuerso populo rectores designent vt etiam Romae factum legimus, communicatis plebi patriciis magistratibus; nunc Heluetii, & federatae Belgii prouinciae in more habent. Hanc, inquam, Rempublicam qualemcunque magistratum eligit. Eum certarum legum praescripto astringere oportere, & nonnullarum rerum potestate priuare, eamque sibi reseruare, aliqui dominatum pene despoticum sibi inducet, vt nunc in Moscovia, Turciaque factum videmus; eā reipublice formam, vt perniciosam iam supra reieciimus. Deinde huiusmodi imperiis nulla prouincia nunc in Europa constitatur, neque eam Christiani principes, aut magistratus videntur affectare. Si tamen talis sit aliqua respublica, vt nunc est Turcarū, dubium non est, quin penes vnum sit summa potestas, neque aliorum quisquam, neque vniuersi sese opponere iure possunt: Non magis, quam serui Domini obistere. Verum illa Respublica est Ergastulariorum, non ciuium.

§. 3. Secundo ita statuo: In republica legibus constituta, ius summum est penes magistratum; cum quia omnibus priuatis eminet, tum quia quibuscumque in rebus plus potest, quam tota respublica. Ideo recte simpliciter eius potestas est maxima; neque ex eo timenda est tyrannis: nam summa potestas esse potest, et si non omnia possit. Sed ea summa dicitur, quae secundum leges non est par, aut maior. Regem itaq; maiorem vniuersa multitudinem appello. Nam nulla respublica regem suum throno deicere potest, & quamuis liberrimis suffragiis eum designarint, non tamen, cum suam in eum potestatem transfulerunt, pro arbitrio reuocare possunt. Deinde iuris regii vsum, functionesque legitimas, ne tota quidem respublica impedire, aut remorari valet, neque enim imaginarium, aut pictum regem instituit, sed gladium illi, & vsum gladii concessit. Tertio, Non potest magistratum suum cogere Respublica, vt etiam in parte iuri suo cedat, sed integrum illi, nec vi, nec fraude imminutum conseruare tenetur. Deniq; in administratione iustitiae, defensione innocentum, condonatione delictorum, etiam si principes, consilium, populusque a rege deserviat, eum tamen sequi, adiuvare, & adesse cogitur. Neque enim principem tota reliqua cogere potest respublica, vt noxiū dimittat, infontis causam deferat, reum, cui alioqui indulgere posset, secundum leges puniat. Egregio & ad imperii firmitatem conspicuo exemplo rem demonstrare animus est. Camillus Consul bello Samnitico dictatorem dixit L. Papyrium Cursorem, ille magistrum equitum dixit Fabium Maximum, profectusque Romam ad repetenda auspicia, mandauit ne se absente Fabius pugnaret, at ille nactus occasionem rei bene gerendae, cum hoste confligit, & insignem victoriam reportat, recenti militum gaudio ac gratulatione venit dictator, Magistro equitum necem intentat, spoliari eum, virgas, ac secures expediti imperat, sed militum fidem implorantem Triarii recipere, ac texere, proque Magistro equitum nunc etiam victore, exercitus orabat. Sed seuerum, & nimis imperiosum dictatorem non mouerunt, altero die adesse iussus, cum intellexisset infestorem se iudicem esse habiturum, Romam profugit, primores patrum appellat, & intercessione senatus a sauitia dictatoris immunem se sperabat; perstat ta-

Electū magistratum leges vinciant, sique aliquid, quod ei non liceat.

Magistratus est summa potestas.

Rex quare maior sit tota republica.

Dictator plus potuit quam tota respub.